



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetii, 1706**

Titulus IV. De Litteris Dimissorialibus, Commendatitiis, & Testimonialibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

Constitutionibus, aliisque de jure servandis, infra scriptos ad minores, & maiores Sacros Ordines ritè promovit, & ordinavit, videlicet

Ad primam Clericalem Tonsuram.

N. N. & N. N.

Ad Ostiariatus Ordinem.

N. N.

N. N.

Ad Lectoratus Ordinem.

N. N.

N. N.

Ad Subdiaconatus Ordinem.

N. N.

N. N.

Ad Presbyteratus Ordinem.

N. N.

N. N.

Prout latius ex libro Ordinandorum in hac Cancellaria legaliter retento constat. In quorum fidem &c. Datum &c.

*Ita est N. Cancellarius Episcopalis N.*

## T I T U L U S IV.

### De Litteris Dimissorialibus, Commendatitiis, & Testimonialibus.

Litterarum Dimissorialium pro prima Tonsura.

#### F O R M U L A I.

#### S U M M A R I U M.

*1 In Regno Neapolitano Dimissorie diriguntur ad certum Episcopum.*

*2 Dimissorie, ut quis possit promoveri a quocunque, non sunt concedendæ sine justa causa.*

N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

*Dilecto Nobis in Christo &c.*

**U**tu, qui legitimis es procreatus natalibus, Sacramento Chrismatis delibutus, bonis moribus ornatus, fidei, legendi, & scribendi erudimentis imbutus, & aetate legitima constitutus, a quocunque Illustrissimo, & Reverendissimo D. Antistite ritè, & canonice promoto, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ habente, quem idè adire malueris, ad primam Clericalem Tonsuram

ram iniari, eamdemque recipere possis, & valeas, attenta nostra absentia à Diœcesi, tenore præsentium, licentiam concedimus in Domino, & imperti-  
mum. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco  Sigilli-

N. Secretarius.

### ADNOTATIONES.

**A QUOCUMQUE.** Dimissoriæ ut quis à quocunque Antistite posit ordinari, non conceduntur ordinandis Regni Neapolis, sed illuc debent concedi directæ certo Episcopo juxta Decretum Gregorii XV. emanatum de anno 1623. de quo mentionem fecimus in Edicto pro ordinatione habenda, & illud refert Nicol. lucubr. can. lib. I. tit. II. de tempor. ordin. num. 34. ubi n. 37. & 38. decisum testatur, quod hoc Decretum non comprehendat Regulares, neque ordinatos in Sacris vigore Brevis, neque exteros, qui possunt ab Episcopis Regni ordinari cum Dimissoriis suorum Ordinariorum, licet non sint directæ ad certum Episcopum.

**2 ATTENTA NOSTRA ABSENTIA.** Litteræ Dimissoriales cum facultate promovendi à quocunque concedendæ sunt ex justa, & rationabili causa, quæ debet exprimi in ipsis litteris, ut mandat Concil. Trid. cap. II. sess. 7. de reformat. & monet Piafec. prax. Episc. par. I. cap. I. art. 2. num. 12. & 17. Hic autem in formula:

exprimitur causa absentiæ, quæ legitima reputatur, Barbol. in Sum. decis. Apostolic. collect. 155. n. 3. verb. Dimissoria, & collect. 254. n. 4. Passerini cap. cum nullus n. 137. de tempor. ordin. in 6.

Litterarum Dimissorialium absen-  
ti concessarum.

### FORMULA II.

#### S U M M A R I U M.

- 1 Dimissoriæ pro Ordinibus minoribus aptius conceduntur cum clausula -- Episcopo N. ordinationes tenente, quam cum alia -- Pontificalia exercente.
- 2 Dimissoriæ debent concedi ad tempus.
- 3 Absentibus per longum tempus conce-  
duntur Dimissoriæ absque morum te-  
stimonio.
- 4 Dimissorias absentibus non arctatis Episcopus non compellitur concedere,  
& n. 5.6.7.8.9.10.11.12. & 13.  
Quid virtute, & scientia præditis?

N. Episcopus N.

Dilecto &c.

**U**T tu à nostra Diœcesi studiorum causa absens, qui legitimis es pro-  
creatus natalibus, morum probitate ornatus, etate legitima, ac in-  
Clericali Tonsura constitutus, nulloque, quod sciamus, Canonico impedimen-  
to, quo minus ad Ordines promoveri possis, reperiris detentus, ab  
Illustrissimo, & Reverendissimo D. N. in propria, vel aliena Diœcesi, de  
Ordinarii loci licentia, *Ordinationes tenente*, ad Ostiariatus, Lectoratus,  
Exorcistatus, & Acolytatus minores Ordines promoveri possis, & valeas  
(dummodo quoad litteraturam idoneus reperiaris; super quo conscientiam

G 4 Ordin.

Ordinantis oneramus (, & intra sex menses presentibus utaris, & non alias) tua absentia non obstante, licentiam, & facultatem utriusque concedimus. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco  Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

### ADNOTATIONES.

**1. ORDINATI ONES TENENTE.** Solent ut plurimum Episcopi in litteris Dimissorialibus etiam pro solis minoribus ordinibus concessis, apponere hæc verba—*in proprio*, vel aliena Diœcesi de Ordinarii loci licentia Pontificalia exercente, non advertentes, quod in collatione ordinum minorum, ut supra probavi, non est necesse, quod Episcopus exerceat Pontificalia solemniter: Unde ad removendum dubium, quod posset non insipide excitari, an scilicet verba—Pontificalia exercente, reddant licentiam conditionalem necne, adeo ut non possit dici legitimè ordinatus, si ab Episcopo Pontificalia non exercente dimissus esset promotus; mihi aptiora visa sunt verba in formula expressa—*Ordinationes tenente*, que complectuntur utrumque modum.

**2. ET INTRA SEX MENSES PRÆSENTIBUS UTARIS.** Sicuti Episcopus potest Dimissorias jam concessas revocare, ut dicit Bifs. Hierurg. litt. D. verb. Dimissoriæ §. 31. ita poterit pro tempore limitato duorum, quatuor, & ad summum sex mensium illas expedire. Cum enim Dimissoriæ contineant testimonium de vita, & moribus, quibus prædicti esse debent ordinandi, si post illarum concessionem tantum temporis effluxerit, quod sufficiat ad probabiliter dubitandum mores fuisse mutatos, non essent amplius ab Ordinante admittendæ, nisi aliund constaret de continuatione proborum minorum, alioquin illas admittens se exponeret periculo ordinandi indignum, ut advertit Pasqualig. ad Laur. de fratre contr. part. 1. num. 278.

**3. Et propterea absentibus per longum tempus antequam Episcopus Dimissorias concedat, vel deberet quoad mores certum testimonium habere ab Ordinario loci ubi morati sunt, vel in litteris (& hoc tutius erit) nullam de moribus fidem facere, & solum dicere, quod Ordinandus est legitimis parentibus natus, in legitima ætate constitutus, non contumax, nec censuris irreitus, quod sciatur, quo verò ad mores, propter illius longam absentiam nullum testimonium reddere posse, ut docent Januen. prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 81. n. 4. Sac. Congr. Concil. 28. Aprilis 1575.**

**4. TUA ABSENTIA NON OBSTANTE.** Hic dubium moveri potest. An scilicet Episcopo absentibus Dimissorias concedere recusantes, sit locus recursui, sive appellationi, adeo ut Episcopus posse à Metropolitano, aut Sac. Congregatione compelli? super quo accipe sequentia.

**5. Nicol. in flosc. verb. Dimissoriæ n. 6.** ex Decreto Sac. Congregationis Episcop. tenet, quod Dimissoriæ non sint denegandæ degentibus in Urbe.

**6. Fagnan. in cap. ad aures nu. 22. de temp. por. ord. vñ.** ex quadam declaratione Gregor. XIII. tradit, quod Ordinario recusante quem ordinare, & causam legitimam recusationis, non allegante committi soleat per Datariam Metropolitano, vel viciniori facultas recusatū ordinandi; ex motivo, quod Ordines absque legitima causa nemini denegari debeant, & cum Fagnano concordat Nicol. lucubr. can. lib. I. tit. 11. de temp. ordinat. n. 12. vers. praxis.

**7. Tondut. quest. benef. tom. 2. cap. 127. num. 1.** docet, quod Episcopo recusante prætextu non juridico Clericum Beneficiatum examini paratum se exponere, ad Sacros.

Sacros Ordines promovere, eoque appellante ad Superiorum, committatur viciniori illius ordinatio: & hanc praxim ad Clericum non Beneficiatum extendit Pas-ferin. in cap. cum nullus n. 138. in fin. de tempor. ordin. in 6.

8. Sac. Congreg. Concilii in una Majori-  
cen. Ordinationis, in qua quidam Clericus  
degens in Urbe adversus denegatus Di-  
missorias ab Ordinario recursum porrexe-  
rat, ut Episcopus cogeretur ad illas trans-  
mittendas, die 14. Januarii, & 4. Martii  
1690. rescripsit, ledum.

9. Sac. Congreg. Episc. & Regul. recursui  
Nicolai Resti laici Brundifini praesentati  
ad Beneficium Jurispatronatus, adversus  
Archiepiscopum, qui ad primam Clerica-  
lem Tonsuram eum promovere recusa-  
bat 31. Augusti 1691. rescripsit - *Ad Ar-  
chiepiscopum, ut initiet Oratorem in casu de  
quo agitur intra mensem, & quatenus non  
initiauerit, initietur à quocumque servatis  
servandis.*

10. Item eadem Sac. Congregatio in alia  
Montis Falisci appellante Clerico Cande-  
lori 26. Septembris 1696. & in Calagurita-  
na recurrente Clerico Dominico Frexen-  
da in Urbe commorantibus, adversus de-  
negationem litterarum Dimissorialium  
suorum Ordinariorum, recursus omnino,  
& absolute rejecit.

11. Ex quibus resolutionibus (quicquid  
dixerunt supracitati DD.) regula consti-  
tui potest, quod quando agitur de aliquo

modo arctatis, Beneficio provisio, vel in  
Sacrís constitutis, Dimissoriae absentibus  
denegari non debent, si non adsit aliquod  
canonicum impedimentum; & quatenus  
Episcopus deneget, datur ad Superio-  
rem recursus, & tunc intrat doctrina  
Tonduti.

12. Si verò agatur de his, qui ex devo-  
tione, & ex mera libera voluntate, &  
motivo cupiunt ordinari, & tunc nec  
ordines conferre, nec Dimissorias con-  
cedere Episcopus compellitur: quia Con-  
cil. Trident. sess. 21. cap. 2. de refor. hos or-  
dinari non deberi decernit, nisi Episcopus  
assumendos esse pro utilitate Ecclesiae ju-  
dicaverit: si ergo arbitrium, quod habet,  
justè, & cum causa non interponat, Deum  
solummodo Judicem habebit, Barbof. de  
Offic. & pot. Episc. alleg. 4. n. 66. hancque  
distinctionem veram esse, & servandam  
tenet quoque Card. de Luc. de Benef. disc.  
71. n. 3. & seqq.

13. Censeo tamen, quod Episcopi, qui  
absentibus moribus, scientia, & virtute  
præditis, quamvis non arctatis, neque  
Beneficio provisio, Dimissorias denegant,  
non sint laudandi, quia tunc irrationabi-  
liter arbitrio abutuntur, quod semper  
etiam liberò, & absolute concessum re-  
gulari debet ad normam boni virti, ut di-  
xit Rot. decis. 188. num. 31. par. 17. rec.  
& quod propterea pro his justè illorum dis-  
sensum Superior supplere possit, & arbi-  
trium interponere.

### Litterarum Dimissorialium pro Ordinibus Sacrīs.

#### F O R M U L A III.

N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

**T**ibi Dilecto Nobis in Christo N. de loco N. nostræ Diœcesis, legitimis na-  
talibus procreato, in Acolitus Ordine, & ætate legitima vigintiduorum  
inceptorum constituto, morumque probitate, & scientia ornato, in Ecclesia N.  
Parochiali ex præscripto Sac. Concil. Trid. proclamato, ab Examinatoribus no-  
stris deputatis idoneo reperto, & approbato, aliisque à jure requisitis prædicto,  
nullaque censura Ecclesiastica, aut alio canonico impedimento (quod sciamus)  
innodato, ut ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. N. Episcopo N. in propria  
Diœcesi Pontificalia exercente, Statutis à jure temporibus, ad Sacrum Subdiaconi-  
natus Ordinem, ad titulum tui sufficientis Patrimonii, de quo legitimè in nostra  
Curia

Curia constare fecisti (ad quem titulum te admittimus pro necessitate Ecclesia N.) promoveri possis, & valeas, attenta nostra absentia à Diœcesi, facultatem in Domino concedimus, & impertimur. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Secretarius.

Litterarum Dimissorialium pro omnibus Ordinibus Sacris pro in Urbe, vel alibi commoranti.

#### F O R M U L A IV.

##### S U M M A R I U M.

<sup>1</sup> Dimissoria directe Eminentissimo Cardinali Vicario Urbis, expedientur sine clausula -- super quo conscientiam Ordinantis oneramus, & quare.

N. Dei, & Apostolicæ Sedis &c. Episcopus N.

**T**ibi Dilecto Nobis in Christo N. legitimis natalibus procreato, in Acolytatus Ordine, & ætate legitima viginti quatuor annorum completorum constituto, morumque probitate ornato, in Ecclesia Parochiali N. ex præscripto Sac. Concil. Trid. proclamato, nullaque censura Ecclesiastica, aut alio canonico impedimento innodato (quod sciamus) aliisque à jure requisitis prædicto, ut ab Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali N. Urbis Vicario, sive illius Illustrissimo, & Reverendissimo D. V. Gerenti in eadem Urbe, vel Diœcesi propria Pontificalia exercente, statutis à jure temporibus, ad Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines debitum servatis interstitiis, aut illis non servatis, cum dispensatione tamen Apostolica, ad titulum tui sufficiens Patrimonii, de quo legitimè in nostra Curia constare fecisti (ad quem titulum Te admittimus pro utilitate nostræ Cathedralis) promoveri possis, & valeas, licentiam, & facultatem in Domino impertimur, & concedimus, dummodo tamen quoad litteraturam *idoneus*, & *babilis reperiari*s, cum Nos propter tuam absentiam à nostra Diœcesi, de ea cognoscere nequierimus. Volentes etiam, ut tu postquam fueris ordinatus præcipue in Ordine Presbyteratus, exhibere tenearis in nostra Cancellaria Testimoniales litteras tuæ Ordinationis infra mensem sub pena suspensionis ipso facto incurrienda, Nobis reservata. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

AD-

## ADNOTATIO.

**I**DONEUS, ET HABILIS RE-PERIARIS. In litteris Dimissorialibus, quæ diriguntur Eminentissimo Cardin. Vicario Urbis, post clausulam adummodo idoneus, & habilis repertiaris, non additur altera - super quo conscientiam Ordinantis oneramus; quia propter reverentiam debitam Cardinalibus, quibus nec Papa rescribendo, vel causas delegando jubet, ut justitiam faciant, sed tantum ut audiant, & decidant, omittitur, ne per talem clausulam illi injuriam inferri videatur, ut observat Zecch. de republ. Eccles. tit. de Stat. Cardinal. num. 9. privil. 11. Dian. part. 5. tract. 2. resol. 37.

Litterarum Dimissorialium pro commoranti in Diœcesi.

## FORMULA V.

## SUMMARIUM.

- 1 Dimissorias sunt expediendæ cum empreßione cauſæ.
- 2 Dimissoriae nominatim per Episcopum defunctum concessæ possunt expediri per Vicarium Capitularem, etiam intra annum Sedis vacantis.  
Dimissorialium gratia non expirat morte concedentis, niſi per successorem revocetur, ibid.
- 3 Dimissoriae an necessario concedenda sint in scriptis, & n. 4.
- 5 Dimissoriae absolute concessæ pro omnibus Ordinibus, non comprehendunt Ordines Sacros, niſi exprimantur.

## N. Episcopus N.

**D**Hecto &c. Ut tu, qui legitimis es procreatus natalibus, morum probitate ornatus, in ætate legitima constitutus, ad Hostiarius, & Lectoratus minores Ordines jam promotus, & quoad scientiam, & alia requisita per Nos, & Examinatores nostros Deputatos examinatus, & approbatus fuisti, ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Episcopo N. in propria, vel aliena Diœcesi, de Ordinarii loci licentia, Ordinationem celebrante, ad Exorcistatus, & Acolytatus minores Ordines promoveri possis, & valeas (cum Nos corporis infirmitate detenti Ordinationem habere, & tenere non valeamus) licentiam, & consensum per præsentes damus, & concedimus. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ☩ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

## ADNOTATIONES.

**I**NFIRMITATE DETENTI. Nonnulli DD. quos referunt Barbos. *supra Concil. sess. 7. cap. 11. num. 4. Biss. Hierurg. litt. D. verb. Dimissoriae §. 16.* afferunt, quod in aliquibus Provinciis sit jam consuetudine receptum, quod nulla causa in Dimissoriis assignetur cur concedantur. Nihilominus puto, quod Episcopus concedens

Dimissorias debeat semper causam rationabilem concessionis exprimere, & assignare, quia Concilium (quod contraria consuetudine abrogari non potest, ut supra probavimus) jubet illam esse exprimendam.

2. Si autem Episcopus post concessiōnem Dimissorialium ex infirmitate dederet, adhuc si expeditæ non essent pro illis subditis, quibus nominatim fuerunt concessæ, possent expediri à Vicario

caro Capituli, etiam intra annum Sedis vacantis, ut probant Barbos. de Offic. & potest. Episc. alleg. 7. num. 23. Ventrigl. prax. par. 1. annot. 23. § 2. n. 13. Passerin. in cap. Cum nullus n. 142. de tempor. Ordin. in 6. Sac. Congr. Concil. in Mexicana Litterarum Dimissorialium 24. Aprilis 1700. quia Dimissorialium concessio est gratia, qua non expirat morte concedentis, nisi per successorem revocetur, Pasqualig. ad Lauret. de Franc. par. 1. num. 275. & seqq. Ventrigl. prax. part. 2. annot. 15. § 1. n. 43. Passerin. in cap. Cum nullus n. 142. de tempor. Ordin. in 6.

3. PER PRÆSENTES. Donat. prax. rer. Regular. tom. 3. part. 1. tract. 3. quest. §. n. 2. dicit, quod non sit de essentia, quod litteræ Dimissoriales concedantur in scriptis, sed quod sufficiat consensus Episcopi dimittentis aliundē probatus. Huic Donati opinioni opposita est altera Pac. Jord. tom. 1. lib. 3. tit. 6. n. 143. qui tenet, quod aliter quam scripto non debeant concedi.

4. Passerin. autem conciliator in cap. Cum nullus de tempor. Ordin. num. 134. dicit, quod si Dimissoriae dentur in præsencia Episcopi Ordinatoris non sit necessa-

ria scriptura, quia constat viva voce Episcopo alieno de dimissione facta v. g. Petro, ut possit ab eo ordinari: secus vero quando dimissio fit ad Episcopum absensem, quia tunc scriptura sit necessaria.

5. Advertat ulterius Episcopus, quod quando conceditur Dimissoria pro Ordinibus Sacris, debent hi necessariō exprimi: nam si concederetur absolute ad omnes Ordines, adhuc non venirent Sacri, Lauret. de Franc. contr. par. 1. num. 272.

Litterarum Comendatitarum pro Sacerdote discessu.

#### FORMULA VI

#### S U M M A R I U M .

- 1 Litteræ Commendatitiae non sunt degandæ non habentibus onus residentiae.
- 2 Litteræ Commendatitiae differunt à Dimissorialibus, & num. 3.
- 4 Testimoniales circa mores non concedendæ, nisi mores noti sunt.

N. Episcopus N.

**D**ilecto &c. Cum ad limina Apostolorum Petri, & Pauli visitanda, & alia tua honesta negotia peragenda Romam adire cupias, & ea propter nostram licentiam requisivisti, grati animi nostri signa indubia ostendere volentes, omnibus ubique, ad quos te pervenire contigerit, per præsentes testamur, & notum facimus, te esse Sacerdotem sæcularem optimis moribus imbutum, Christianisque virtutibus præeditum: Missæ Sacrificium publicè celebrare, & ex Civitate (vel Diœcesi) te abire nulla Ecclesiastica censura, neque alio canonico impedimento, aut poena, quod sciamus, irretitum. Quare omnibus in Christo PP. Illustrissimis, & Reverendissimis Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus, Vicariis, cæterisque Ecclesiarum Ministris, & Officialibus, ad quos declinabis, quantum in Domino possumus te pro commendato damus: Rogantes eos, ut ad Sacra facienda personam tuam recipient, Missamque, & alia Divina Officia celebrare permittant, & in cæteris tueantur. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco  Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

A.D.

## ADNOTATIONES.

**N**O STRAM LICENTIAM REQUISIVISTI. De honestate requiritur licentia, non autem de necessitate: Nam litteræ hujusmodi commendatitiæ pro discessu à Diœcesi iis, qui non habent Officium, Beneficium, aut aliam obligationem personalem, servitum, & residentiam exigentia, numquam sunt denegandæ, Nicol. lucubr. Can. lib. 1. tit. 22. n. 3. quem aliquando ab Advocatis Curiæ citatum vidi ad probandum assumptum, quod Dimissoriæ, pro Ordinibus, absentibus non sint denegandæ, quod Nicolius non dicit, quia illius verba, ibi—non posse ab Episcopo denegari Dimissorias, seu licentiam manendi extra Diœcesim, probant propositionem mox firmatam, non autem diversam, & contortam in assumpto, quia ly Dimissoriæ accipitur pro licentia fœse absentandi, & synonimè pro commendatitiis, ut indicat particula, seu, & benè observat Pac. Jordan. tom. 1. lib. 3. tit. 6. num. 140. in fin. Nisi tamen ageretur de Ordinatis ob necessitatem Ecclesiæ, nam isti locum, inconsulto Episcopo, deserere non possunt, Concil. Trident. sess. 23. cap. 16. de Reform.

**P**ER PRÆSENTES TESTAMUR. Differunt litteræ commendatitiæ à Dimissorialibus, quia hædantur quando proprius Episcopus non valens propter aliquod impedimentum Ordines conferre Clericis suis, illos dimittit ad illos dimittit ad alium Episcopum Ordinandos, quas Concil. Trident. cap. 10. sess. 7. de Reform. vocat reverendas, quo nomine utuntur Hispani, teste Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 7. num. 3. & de his agitur in diff. 72. & 73. per tot.

**3.** Ille verò (quarum duæ sunt species) vel Clericis peregrinantibus conceduntur (ut hic) sine quibus in aliena Diœcesi non sunt admittendi ad peragenda Sacra, cap. Extraneo, & cap. Hortamus 71. diff. Vel dantur in testimonium, & commendationem morum Subditi, qui vigore Brevis Apostolici, aut Beneficii, postulat alio ad Ordines promoveri, & hæc quæ etiam vocantur testimoniales sunt dandæ

ab eo, cui est melius edoctus de moribus, & vita Ordinandi: hodiè verò in hoc servanda erit Constitutio Innoc. XII. quæ incipit Speculatores.

**4. O PTIMIS MORIBUS IMBUTUM, CHRISTIANIS QUE VIRTUTIBUS PRÆEDITUM.** Elo-gium istud tunc in litteris commendatitiis erit faciendum, quando mores illius, cui conceduntur, Episcopo noti sint: aliæ quando mores statui Clericali non correspondent, vel de vita integritate fama dubia est, siccō vestigio pertranseat. Quia si humana urgente ratione abeuntibus, si vè absentibus cum laude de moribus agat: hujusmodi postea testimonio utuntur in Urbe, vel contra ipsummet Episcopum, si Dimissorias pro Ordinibus concedere nollet: vel in Dataria Apostolica pro obtinendis Beneficiis, ad exclusionem digniorum.

Sitque igitur regula, quod si Episcopus coram Deo de morum probitate testari vereatur, dicat in litteris Commendatitiis—N. fuisse bonis moribus, & Christiane educatum, & à Diœcesi discedere, vel discessisse, absque ulla Censura, aliovè canonico impedimento: Nè postea Episcopo, qui Commendatitias litteras cum laude concessit, inferatur nota mutabilitatis, aut livoris, si Ordines, vel Dimissorias deneget.

Litterarum Commendatitarum pro Canonico.

## F O R M U L A VII.

## S U M M A R I U M .

- 1 Absens ex juxta causa lucratur Distributiones.
- 2 Causa litis quando suffragetur ad lucrandas distributiones.
- 3 Canonicus, qui factio Capituli cogitur abesse, lucratur distributiones.
- 4 Licentia se absentandi à residentia concurrente justa causa non potest ab Episcopo denegari.

Cle-

Clericus, qui habet onus residentie, potest in casu repentino discedere, absque Prælati licentia, ibid.

5 Canonici, qui possunt absque licentia

Episcopi ab esse à residentia, cur pertant licentiam absentandi, & num. 6.

7 Episcopus an possit licentiam extendere ad quatuor menses? & num. 8.

### N. Episcopus N.

**D**ilecto, &c. Canonico nostræ Cathedralis, &c. Tibi, ut liti, quam habes Romæ super. . . . affilere possis, & faciliter ad optatum finem illam perducere, ab hac Civitate Urbem versus discedendi licentiam concedimus, & impertimur. Attestantes te esse Canonicum Sacerdotem Sæcularem optimis moribus imbutum, scientiaque prædictum, Missamque publicè celebrasse, & celebrare, nec te esse de aliquo criminis inquisitum, neque condemnatum, nullaque alia Censura Ecclesiastica, aut pena innodatum, quod sciamus. Rogantes propterea omnes, & singulos Ecclesiarum Ministros, ad quos declinabis, ut te in tam recipiant, & admittant, Missamque, & alia Divina Officia celebrare sinant. Præsentibus ad tres tantum menses ad formam Sac. Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de Reform. valituris. In quorum, &c. Datum, &c.

### N. Episcopus N.

Loco  Sigilli.

### N. Cancellarius Episcopalis.

Junii 1695. favore Marii Orpinelli Thesaurarii Almæ Domus, qui cum haberet Indultum à Sac. Congregatione, Distributiones in absentia lucrandi, Capitulum sese opposuit illius executioni, & num. quam Distributiones concedere voluit, donec super dicti Indulti validitate (quod nullum, & subreptitium esse Capitulum prætendebat) ipso Orpinello in Urbe commorante, & propriam causam patrocinante, pronunciatum non fuit, & post tertiam Causæ propositionem obtinuit Decretum recedendum à decisio, & Orpinello debet Distributiones, usque ad diem captæ resolutionis pro executione Indulti.

3. Quo Decreto roboratur illa conclusio communiter recepta, quod si Canonicus facto Capituli pro defensione sui juris cogitur abesse, etiam absque licentia Ordinarii, lucratur Distributiones, Addend. ad Gregor. dicta decis. 154. quia tunc dicitur licentia habere à jure, cap. Ex parte il 2. de Cler. non resid. Gratian. discept. 591. num. 42. Ventrigil. prax. par. 1. annot. 19. §. 2. num. 10. & seqq. cuius sententiam approbasse videtur Sac. Congr. Concilii in una Lauretana 16.

694.

### AD NOTATIONES.

**1. T LITI.** Non solum ex causa litis, sed etiam ex alia quacunque rationabili, (quæ tamen debet esse certa, & expresa) potest absens à residentia cum licentia Episcopi petere non tantum fructus Præbendæ, quam etiani Distributiones, juxta Text. in cap. Relatum, ubi gloss. de Cler. non resid. Rot. coram Manzan. decis. 348. num. 1. Add. ad Gregor. decis. 154.

2. Causa vero litis connumeratur inter necessarias, adeo ut si hæc recipiat non tantum interesse Capituli, à quo Canonicus mittatur, sed solummodo tangat statutum ipsius Canonicus, & Canonicatus, vel agat pro defensione jurium sue Præbendæ, vel pro recuperatione fructuum, aut Distributionum, quos, vel quas Capitulum denegat, ac pro lite Urbem petat, & foveat justam causam, lucratur omnes Distributiones, ex traditis à Ventrigl. prax. par. 1. annot. 19. §. 2. num. 10. & seqq. cuius sententiam approbasse videtur Sac. Congr. Concilii in una Lauretana 16.

694. num. 11. Quidquid esset si Canonicus litem ageret cum extraneo, juxta resolutionem. *Sac. Congreg. Concil. in Aquila-*  
*na 23. Maii 1626. l. decr. 13. pag. 5. alle-*  
*gatam in contrarium pro Capitulo in dicta*  
*Lauretana.*

4. *LICENTIAM CONCEDI-*  
*MVS.* Concurrente honesta causa absen-  
*tiae*, licentia hujusmodi non potest ab  
*Episcopo denegari*, aliàs datur recursus  
*ad Superiorum*, qui licentiam Ordinarii  
*supplendo ipse concedat*, vel ut *Prælatum*  
*compellat ad illam dandum*, ut docet  
*Abb. in dicto cap. Relatum num. 6. de Cler.*  
*non resid.* ubi ampliat quod propter neces-  
*sitatem subito*, & inopinatè occuren-  
*tem*, possit *Clericus*, qui residentiam ha-  
*bet*, se absentare absque licentia *Prælati*,  
*consideratis tamen qualitate causæ*, *præ-*  
*judicii*, & facilitate petendi licentiam.

5. *AD TRES TANTVM MENSES.* In illis *Cathedralibus*, ubi non  
*adest Statutum*, vel *consuetudo*, quæ  
*longius servitii tempus requirat*, regulari-  
*ter posunt Canonici absque licentia*  
*Episcopi per tres menses abesse*, ut non se-  
*mel declaravit *Sac. Congreg. Concilii apud**  
*Gallemart. supra Concil. sess. 24. c. 12. nu. 33.*

6. At hic licentia petitur non ut gaudeat  
*Canonicus vacantia à Concilio concessa*,  
*sed ut lucretur Distributiones*, & ad *Sacra*  
*admittatur extra Diœcesim*: ac etiam quia  
*cum Canonici non possint omnes*, neque  
*eorum major pars eodem tempore ab esse*

à residentia, ne Ecclesia debito servitio  
*fraudetur*, recurrendum est ad *Episcopum*,  
*in cuius arbitrio reponitur*, quot debeant  
*remanere*, & quot possint discedere, ut  
*Sac. Congr. declaravit supra d. cap. 12. apud*  
*citatum Gallemart.*

7. Et hinc oritur quæstio. An *Episco-*  
*pus ex iusta causa possit ad quatuor men-*  
*ses licentiam extendere*, & affirmativam  
*sententiam sequitur Gallemart. loc. sup.*  
*citato*, cui adæret *Piafec. prax. Episc. p. 2.*  
*cap. 3. art. 2. n. 19. vers. ultra tres*, *ex Text.*  
*in cap. Inter quatuor de Cler. non resid.* cui  
*nullibi fuisse derogatum tenet.*

8. Oppositam sententiam negativam  
*amplectitur*, *Garz. de Benef. par. 3. cap. 2.*  
*n. 406.* ubi plura Decreta refert, huicque  
*sociatur Fagn. in c. Licet n. 37. de Præb. con-*  
*corditer firmantes*, quod *Episcopus licen-*  
*tiam absentiae*, *ultra trés menses exten-*  
*dere non possit*, nisi ex causis expressis in  
*jure*, & juxta formam *cap. Vunici de Cler.*  
*non resid. in 6.* & hæc secunda sententia in  
*praxi servatur.*

Litterarum Comendatiarum pro  
absente.

### FORMULA VIII.

#### S U M M A R I U M .

1. *Clerici peregrinari non debent, nisi de*  
*licentia Episcopi.*

#### N. Episcopus N.

**D**ilecto &c. Tibi qui nullum Officium, nec Beneficium, quod residentiam  
*requirat in hac Diœcesi possides*, & à nonnullis annis ad tua honesta nego-  
*cia peragenda ab eadem cum licentia nostri Prædecessoris discessisti, modòque*  
*devolutionis impulsu*, ut Nobis supplicari fecisti, Sanctam Lauretanam Domum  
*petere cupias*; ut èd pervenire fæliciter valeas, *licentiam concedimus*, & in Do-  
*mino impertiriur.* Attestantes te esse Sacerdotem bonis moribus imbutum, &  
*discessisse ab hac Diœcesi*, nulla Censura Ecclesiastica, seu Canonicò impedimento  
*irretitum* (quod sciamus) quominus Sacrificium Missæ, ubique de licen-  
*tia Ordinarii locorum*, & alia Divina Officia celebrare posses. In quorum &c.  
*Datum &c.*

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

AD-

## ADNOTATIO.

**L**ICENTIAM CONCEDIMUS. Clerici peregrinari non debent, nisi de licentia Episcopi cap. non oportet de consecr. diff. 5. cap. Magnæ vers. cum enim de Vot.

Litterarum Testimonialium pro Ordinando extra Diœcesim.

## FORMULA IX.

## SUMMARIUM.

- 1 Episcopus concedens Testimoniales de vita, & moribus, debet de illis inquirere.
- 2 Quæ sint delicta, quæ irrogant infamiam.

- 3 Quæ sint infamia facti, & qui defacti infames.
- 4 Infamia juris non incurritur, nisi delictum sit publicum, ibid.
- 5 Damnatus ad triremes, quando dicuntur infamis, & n. 6. 7. & 8.
- 9 Testimoniales de vita, & moribus Ordinandorum sunt subscribendæ ab Episcopo, non à Vicario, nisi habeat speciale mandatum.
- 10 Testimoniales de vita, & moribus non possunt ab Episcopo denegari.
- 11 Testimoniales de vita, & moribus debent continere tempus permanentie & discessus.
- Testimoniales Prælati nullius, non solum bonos mores testantur, sed commendant, ibid.

N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

**P**ER præsentes cunctis indubiam fidem facimus atque testamur, Dilectum in Christo N. (quiratione originis huic nostræ jurisdictioni noscitur subiectus) pro tempore, quo in loco N. & in quo ex legitimo matrimonio natus, educatus, & commoratus fuit, suæ probitatis specimen dedisse, bonaque fama, vita, ac moribus præeditum fuisse, & ex hac nostra Diœcesi in ætate annorum....nullo delicto quod infamiam irroget patrato, nullaque Ecclesiastica Censura, aut alio canonico impedimento (quod sciamus) innodatum discessisse, quò minus ad minores, seu majores Sacros Ordines ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Episcopo N. ad formam præscriptam Constitutionis sa. me. Innoc. XII. Speculatores promoveri possit. In quorum fidem has testimoniales litteras, manu nostra subscriptas, expediri jussimus. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

## ADNOTATIONES.

**B**ONAQUE FAMA, AC MORIBVS PRÆEDITVM. Antequam Episcopus hujusmodi testimoniales concedat super vita, & moribus illius, qui fidem postulat, examen testium fide dignorum, & Parochi attestationem exquirat, ac si ipse Ordines conferre deberet: quia

ideò ejus testimonium exigitur, ut tamquam de moribus promovendi melius edocetus, ordinans certior fiat eum esse dignum, prout præscribit Concil. Trid. cap. 8. sess. 2. 3. de Reform.

**N**ULLO DELICTO QVOD INFAMIAM IRROGET PATRATO. Delicta, quæ de jure infamiam

miam irrogant sunt. Apostasia à fide, Hæresis, ejusque fautor. Crimen læse Majestatis. Usura publica. Duellum. Homicidium ex proposito commissum. Adulterium. Sodoma. Simonia. Rapto Mulierum. Hostilis persecutio Cardinalium. Pugna publica cum seris. Poligamia. Lenocinium. Prostitutio propriæ filiæ, vel neptis. Matrimonium cum Meretrice. Defectus naturaliū iū. Histriones Mercenarii. Perjurium notorium, relata à Piasec. prax. Episcop. part. I. cap. 1. art. 5. nu. 2. vers. secundi generis, & repetita à Panimol. dec. 89. adnot. 3. num. 2. quibus Sperell. dec. 77. nu. 2. addit officium Birruatii.

3 Infamia verò facti oritur, quando quisapud graves viros infamatur de frequentatione criminum, quæ non uno actu, sed pluribus faltem quatuor dicitur inducta, juxta Glof. in c. Mos diff. 1. Graff. consil. lib. 5. de adult. & stupr. consil. 2. n. 11. Et sunt publici Aleatores, Vinolenti, Concubinam tenentes, Tabernas frequentantes, Mimis, & Histrionibus colludentes, & in scena inhonesta exercentes, sed hæc ultima cessat arte relicta, Piasec. ubi supra, Garz. de benef. part. 7. art. 8. nu. 66. At adverte, quod ad incurriendam infamiam juris necesse est, quod factum, seu delictum sit notorium, nam si esset occultum, quis non censeretur infamis, Petr. Paul. Guazzin. in tract. ad defens. animar. lib. 2. defens. 6. cap. 36. nu. 5.

4 Differentia autem, quæ intercedit inter unam & alteram infamiam hæc est, quod infamia juris non tollitur per contrariam laudabilem vitam, sicuti infamia facti, quæ per triennalem vitam laudabilem aboletur, ut notat Pac. Jord. lucubr. 10. 3. lib. 14. tit. 17. nu. 111.

5 An autem damnati ad triremes dicantur infames, negativam sententiam cum suis affeclis tenet Ricc. dec. Cur. Arch. Neapolit. 119. At contrariam affirmativam sequuntur Ciarlin. contr. for. 207. n. 53. Guazzin. ad defens. reor. defens. 33. cap. 4. nu. 9. Barbos. de offic. & potestat. Episc. alleg. 43. nu. 15. Passerin. de elec. cap. 25. qu. 49. nu. 578.

6 Has pugnantes sententias conciliat distinctione Raynald. obser. Crim. addit. Monacelli Form. Pars I.

ad cap. 8. lib. 1. post tom. 2. pag. mibi 28. ubi dicit, quod si reus fuit damnatus ad triremes in absentia, idest in contumacia, & hunc non fieri infamem, nisi sequatur executio sententiæ contumacialis: si vero fuit condemnatus in præsentia, idest constitutus in carceribus, & admissus ad defensiones, & hunc fieri infamem, si delictum sit tale, quod de jure irroget infamiam; nam si delictum de sui natura non infameret, non esset infamis, quia genus peccatum (ut ipse ait) non irrogat infamiam, nisi causa infamiam dignens præcedat.

7. At si damnatus ad triremes actu remigasset, quod tunc indistinctè efficiatur infamis, & solus Papa dispenset, vigore Decreti Congregationis Sancti Officii emanato de anno 1635. jussu Urbani VIII. quod allegat.

8. Hujus inspectionis effectus est magni ponderis, quia infamia hæc impedit assecutionem Ordinum, & Dignitatum, ac jam obtentas exerceri, etiam finito tempore condemnationis, & peccatum, ut observat idem Raynald. ibid. in fin. Nam semel damnatus de crimine irrogante infamiam, semper remanet infamis, juxta vulgatum adagium, Pena potest tolli, culpa perennis erit, quod refert Rot. coram Arguell. dec. 22. nu. 12.

9. *MANV NOSTRA SUBSCRIPTAS.* Testimoniales de vita, & moribus Ordinandorum debent subscribi ab Episcopo: Nam testimonium Vicarii Generalis, nisi habeat speciale mandatum concedendi Dimissorias, non suffragatur, ut declaravit Sacr. Congreg. Concilii supra cap. 8. sess. 23. de Reformat. his verbis - *Testimonia commendare &c. etiamsi essent absentes, & ad titulum Pensionis, vel Patrimonii assumenti essent, sed non testimonio Vicarii Generalis, nisi haberet speciale mandatum concedendi Dimissorias.*

10. Nec potest Episcopus, nisi adsit aliquod canonicum impedimentum, illas denegare, juxta mentem Sacr. Cong. Concilii in Neapolitana, seu Hyperacem. 27. Junii 1699. & in Neapolitana, seu Scalen. Ordinationis 19. Februar. 1701. & alterius Episc. & Regul. in S. Sever. 13. Maii 1701. Et ratio convincens est, quia aliter esset in facultate Episcopi attestari debentis,

H Or-

Ordinationes de jure ad Episcopum Beneficii spectantes impediunt, vel Brevia Apostolica, quæ quotidiè expediuntur pro Ordinandis extra tempora, & clausula à quocumque (commendationem morum proprii Ordinarii exigentia, ut declaravit Sac. Congr. Conc. 28. Aprilis 1575.) suspendere, & elusoria reddere.

11. In concessione autem Testimonialium de vita, & moribus, jurandum erit, quod semper tempus præcium permanentiæ, & discessus Ordinandi exprimatur; Nisi sint expediendæ à Prælato inferiori nullius, qui mittit Episcopo viciniori Ordinandos proprios Subditos, juxta censuram Concilii cap. 10. sess. 23. de Reform. & declaravit Sac. Congr. Concilii in Nullius, seu Minerbiensi. 24. Januarii 1699. tunc enim formula varianda erit, & non solum mores attestandi erunt, sed commendandi, Card. de Luc. de jurisd. disc. 16. & in adnot. ad Concil. disc. 14. n. 18.

Testimonialium idoneitatis pro Dataria.

#### FORMULA X.

##### S U M M A R I U M .

- 1 Servitium Ecclesiae est præcipuum requisitum pro obtinendis Beneficiis.
- 2 Clerici, qui Ecclesiae non inserviunt, repellendi sunt ab Ordinibus, nec Datariae commendandi.
- Clerici, qui erubescunt Ecclesiae inservire, in parte Domini vocandi non sunt, ibid.
- Clerici virtute, & moribus prædiis sunt vere nobiles, ibid.
- Virtutum nobilitas facit gratum Deo servitorum, ibid.
- 3 Clericus pauper dignus præfertur Clerico diviti digniori.

#### N. Episcopus N.

**U**niversis, & singulis, ad quos præsentes nostræ litteræ testimoniales pervererint, fidem indubiam facimus, & verbo veritatis testamur N. nobilem Civem hujus Civitatis nullo delicto inquisitum, neque aliqua Censura, seu Canonico impedimento (quod sciamus) in nodatum, esse Clericum in minoribus Ordinibus constitutum ætatis .... studiis .... incumbere, & Ecclesiae Cathedra diebus festis assidue inservire, continuoque notas suæ probitatis præbuisse, & præbere, ac propterea cum sit pauper, & nullum Beneficium possideat, ex ejus vita integritate, morum honestate, aliisque Christianis virtutibus, quibus pollet, idoneum aestimamus ad Beneficia Ecclesiastica, & Canonicatus etiam in Cathedralibus obtinenda sine tamen Cura Animarum. In quorum &c.

#### N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

#### AD NOTATIONES.

**D**I E B U S F E S T I S A S S I-  
D U E I N S E R V I R E .  
Præcipuum requisitum pro obtinendis Beneficiis est servitum Ecclesiae, tūm ex dispositione Sac. Canonum, tūm ex mandato Conc. Trid. sess. 23. cap. 11. nisi forte providendus causa studiorum absit: Etsi

requisitum in Clerico deficeret, debet Episcopus attestationem idoneitatis, & sufficientiæ, denegare, quia quando Clerici moniti Ecclesiae non inserviunt, ac inservire negligunt, & contemnunt, conjectura evidens est, eos hoc vitæ genus elegisse non ut fidelem cultum Deo reddant, sed ut redditibus Ecclesiasticis provisi dulciores ducant dies suos.

2. Hi

2. Hi etenim Clerici tamquam Ecclesiæ inutiles sunt repellendi ab Ordinibus, & non commendandi, & semper præferendi sunt alii, qui de Ecclesia benemeriti gratum valeant eidem præstare famulatum, juxta monitum Text. in cap. *Grave de præbend.* Nullo habito respectu ad nobilitatem conditionis, aut divitias attestationem depositentium: *Quia si ipsi erubescunt Ecclesiæ inservire, erubescat Episcopus eos in partem Domini vocare;* Dominus enim ipse est hæreditas eorum, *Deuter. cap. 18.* eisque respondeat, quod nobilitas morum plus ornat, quam genitorum, *cap. Nos qui 40. dist.* Et quod, qui extollit nobilitatem, deprimit conditionem Clericatus, cum Piscatori Petro, Fabri filio successorem quæramus, non Augusto, ut nobilium fastum retundendo eos increpat *Glos. in cap. Quoniam vetusto 24. quæst. 1. verb. invidia.* Et tandem quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt, & idoneum servitorem, prout Papa docet in cap. *Venerabilis 37. de Præbend.* & notat etiam *Ricc. prax. For. Eccles. part. 3. resol. 322.* & par. 4. resol. 229. n. 3.

3 CUM SIT PAUPER. Expressio, ac mentio paupertatis valde juvat, si fieri

potest: *Quia de jure Clericus pauper diviti, & carens Beneficio, jam proviso preferitur cæteris paribus, Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. alleg. 69. num. 103.* Immobilis pauper sit dignus, debet institui omissi digniore divite, ut dicit Host. in cap. *Tuam n. 12. de ætat. & qualit.* & alii apud *Vivian. de Jurep. par. 2. lib. 13. c. 9. n. 9.* & *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. glos. 2. num. 12.* quod intellige de Beneficiis simplicibus.

Testimonialis pro Dataria favore  
Sacerdotis.

FORMULA XI.

S U M M A R I U M .

- 1 *Beneficia debentur habenti majores qualitates.*
- 2 *Canoniciatus Cathedralis dicitur Beneficium simplex.*  
*Canonici Cathedralis debent habere majorem habilitatem, quam alii Clerici, ut possint consilio Episcopum, & Ecclesiam juvare, ibid.*  
*Canonici Cathedralis presumuntur periti, & consilio maturi, ibid.*

N. Episcopus N.

Universis, & singulis has præsentes testimoniales litteras inspecturis notum facimus, & verbo veritatis testamur Presbyterum N. J. U. D. Civem hujus Civitatis nullo delicto inquisitum, neque aliqua Censura Ecclesiastica, seu Canonico impedimento innodatum, esse bonis, & honestis moribus imbutum, scientiaque præditum, & proinde ad quæcumque Beneficia Ecclesiastica, etiam Canoniciatus, Præbendas & Dignitates in quibusvis Cathedralibus, ac Collegiatis Ecclesiis, & præcipue in hac Cathedrali N. obtinendas (sine Cura Animarum) habilem, & idoneum estimamus, & reputamus. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1 **P R E S - B I T E R U M** N. Habilis ad Beneficia resultat major ex Presbyteratu, quam ex simplici Cle-

ricatu, Rot. coram Seraph. *decif. 968. n. 1.*  
& 2. & coram Dunoz. Jun. *decif. 118. n. 3.*  
& *decif. 950. num. 4.* Et si commendatus haberet alias qualitates, puta, quod sit versatus in Theologia, Confessarius, Exa-

H 2 mi-

minator, vel iudex Synodalis, vel alia munera laudabiliter exerceat, aut execuerit, debet Episcopus, sive Vicarius Generalis in testimonialibus sigillatim hæc exprimerre, quia apud Datariam multum pondereant, & est de jure, quod Beneficia Ecclesiastica debeantur habenti maiores qualitates, ut dixit Rot. in dicta decisi. 950. n. 9. coram Dunoz. Jun.

2. SCIENTIAQUE PRÆDITUM. Quamvis Canonicatus etiam Cathedralis, juxta doctrinam Navarr. in conf. 11. de injur. & dam. dat. & conf. 97. num. 6. de Simon. quem sequitur Ricc. prax. For. Eccles. part. 1. resol. 403. nos. 6. dicatur Beneficium simplex: Nihilominus ad illum obtinendum requiritur scientia major, quæ non exigitur in Clericis minorum Ordinum, & quod Canonicus, non solum linguam latinam rectè calleat, sed in litteris ita profecerit, ut suo consilio possit aliquando Ecclesiam, & Episcopum juvare, ne contingat ad Capitulum duci Oves, & Boves,

ut inquit Lotter. de re Benefic. lib. 2. qu. 50. n. 53. Jura etenim præsumunt Canonicos Ecclesiæ Cathedralis esse peritos, & consilio maturos, c. Statutum de rescript. in sexto.

3. PRÆBENDAS. Non tamen Theologalis, seu Poenitentialis: Nam si de harum provisione agendum esset, testimoniales litteræ deberent fieri magis specificæ, & commendari ætas, & cæteræ qualitates pro illis requisitæ, de quibus jam supra loquuti sumus.

Testimonialium paupertatis pro  
Dataria.

#### FORMULA XII.

##### S U M M A R I U M.

1. Paupertas quomodo probetur.
2. Episcopus, qui de paupertate absolute testari non potest, mittit adia ad Datarium.

N. Episcopus, sive Vicarius Generalis N.

**P**Er præsentes fidem facimus, & testamur Petrum N. & Luciam N. hujus Diœcesis esse pauperes, & miserabiles, adeout ex labore, & industria eorum victum sibi ipsis parare cogantur, prout ex fide Parochi, & depositione Testium familiarium vicinorum fide dignorum Nobis constare fecerunt; In cuius rei testimoniūm præsentes dedimus subscriptas, & sigillo munitas. Datum &c.

N. Vicarius Generalis N.

Loco ✡ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

#### A D N O T A T I O N E S.

1. **T**ESTIVM FAMILIARIVM. Licet paupertas probetur etiam Testibus deponentibus de communi reputatione, & fama, ut tradit Tusch. litt. P. concl. 162. n. 1. Rot. cor. Pamphil. dec. 676. n. 1. ex illo principio, quod paupertas, uti qualitas connaturalis, facile præsumatur, & quilibet in hanc lucem pauper, & nudus ingreditur, e. Sicut 47. diff. D. Paulus 1. ad Tim. c. 6. Nihilominus modus tutior illam probandi est inductio Testium fami-

liarium, seu viciniorum, qui præsumuntur informati, ut docent Gratian. discept. 660. n. 1. & seqq. Tusch. d. concl. 162. n. 4. ubi dicit, quod melius probari non potest.

2. Si vero Testes inducti deponerent, quod Petrus, & Lucia possideant aliqua bona, & Ordinarius non posset de paupertate simpliciter, & absolute fidem facere, tunc illorum integrum examen mittitur ad Datarium, ad hoc, ut ipse judicet, an dispensandi dici valeant pauperes, nec ne, juxta praxim, quam docet Corrad. prax. dispensaf. lib. 8. cap. 5. n. 22.

Alia

Alia Episcopi domicilii.

F O R M U L A XIII.

**P**Er præsentes fidem facimus atque testamur N. & N. in hac Civitate N. ( seu Diœcesi ) ab anno . . . commorantes , & in qua domicilium contraxerunt esse adeò pauperes , & miserabiles , quod ex labore , & industria sua vivant , prout ex fide Parochi , & depositione Testium fide dignorum nobis constare fecerunt . In cuius rei testimonium &c.

N. Vicarius Generalis N.

Loco ☩ Sigilli.

Testimoniales pro eo , qui impedimento detentus ad Urbem non valet accedere .

F O R M U L A XIV.

S U M M A R I U M .

**I**A quibus exigatur Testimonialis paupertatis , & impedimenti accedendi ad Urbem , & num. 2.

Nos N. Episcopus , sive Vicarius Generalis N.

**C**unctis per præsentes testamur N. N. hujus nostræ Diœcesis pauperes , & miserabiles existere , & ex suis labore , & industria tantum vivere . Et insuper prædictum N. Oratorem , qui in Carceribus nunc retinetur ( vel quibusdam habitualibus infirmitatibus scilicet ) & hic exprimatur qualitas infirmitatis ( propter quas sine vita discrimine ) iter arripere nequaquam potest ad Romanam Cuiam pro dicta dispensatione obtinenda . In quorum &c.

N. Episcopus , sive Vicarius Generalis N.

Loco ☩ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis .

A D N O T A T I O N E S .

**S**upradicta Testimonialis exigitur ab illis , qui scienter Matrimonium contraxerunt , non obstante impedimento confangunitatis etiam ex actu fornicario proveniente , compaternitatis , vel machinationis , & postea petunt à Se-

de apostolica dispensari in forma pauperum . Et quia per Datariam quando casus est publicus dispensatio hujusmodi non solet concedi , nisi Oratores accedant ad Urbem : Ideò quando verè sunt pauperes , & impediti , Ordinarius testatur de utroque , & conceditur dispensatio , quamvis non accedant .

Monacelli Form. Pars I.

H 3 2. Hi

2. Hi autem, qui non sunt impediti, si sunt intra centum milliaria, tenentur accedere etiam in quarto gradu conjuncti: Cæteri verò Itali ultra centum milliaria distantes, sicuti etiam Hispani, & Portugallenses, non nisi in secundo: Galli autem, Germani, & Poloni ab accessu dispensantur, ut docet Datariæ praxis,

Testimonialis superviventia.

#### FORMULA XV.

##### SUMMARIUM.

1 Quando exigitur Testimonialis superviventia.

#### N. Episcopus N. sive Vicarius Generalis N.

**U**niversis fidem indubiam facimus, & testamur per præsentes, N. bona, & firma valetudine præditum, sanum, & incolumem vivere, ut ex ejus aspeetu, & colloquio hodiè in hac Civitate secum habito dignoscere potuimus, & sic publicè ab omnibus reputari perceperimus. Ideò ad ejus instantiam has testimoniales litteras nostra manu subscriptas, & sigillo munitas expediri jussimus. Datum &c.

N. Episcopus, sive Vicarius Generalis N.

Loco Sigilli,

N. Cancellarius Episcopalis.

#### ADNOTATIO.

1. **H**æc testimonialis requiritur pro absente ab Urbe, qui officio vacabilia illic possidet, & fructus illorum exigere, vel alienationem in absentia facere intendit; ac etiam aliquando in resignationibus Beneficiorum, aliisque similibus causis.

Testimonialium approbationis in concurfu.

#### FORMULA XVI.

##### SUMMARIUM.

1 Testimoniales concursus debent conti-

nere nomina omnium approbatorum.

2 Praeclatio concurrentium approbatorum potest explicari ab Episcopo post concursum loco, & tempore diverso.

Examinatorum relatio debet fieri coram Episcopo collegiativè, ibid.

3 Episcopus suspensus à jurisdictione, non potest præeligere dignitatem in concursu, quamvis jus conferendi Beneficia retineret, sed jus ad Vicarium Apostolicum devolvitur.

4 Collatio Parochialis, in mense Pape vacata dicitur voluntaria, quia Papa consert cui vult ex approbatis.

#### N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

**I**llustrissimo, & Reverendissimo Domino Santissimi D.N. CLEMENTIS XI. Papæ Datario, ac quibuscumque aliis præsentes testimoniales litteras inspecturis significamus, quod vacante de mense N. proximè præterito Parochiali Ecclesia sub invocatione S. N. loci N. hujus nostræ Dioecesis per obitum.

obitum N. extrà Rom. Curiam defuncti, fuisse per Curiam nostram mediantibus edictalibus litteris juxta formam, & præscriptum Sac. Concil. Trid. & Constitutionem fel. record. Pii Papæ V. vocatos omnes de sic vacante Ecclesia pro videri cupientes, & cum in termino prefixo plures comparuissent, tandem iisdem oppositoribus votatis sub die . . . præsentis mensis coram Nobis rigoroso prævio examine per tres Examinatores in Diœcesanâ Synodo Deputatos, factam fuisse experientiam de doctrina, moribus, & ætate singulorum descriptorum, ac demum servatis de jure servandis, præfatos tres Examinatores ex prædictis oppositoribus approbatos ad obtinendam dictam Ecclesiam Parochiale denunciarunt Rev. N. Sacerdotem loci N. Rev. N. loci N. & Rev. N. I. V. D. loci N. Nos autem successivè post dictum examen, & relationem, magis idoneum judicavimus Rev. N. & pro obtainenda dicta Ecclesia eumdem dignorem eligimus. Et uti talem Sedi Apostolice remittimus, ut gratiam faciat. In quanto &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco  Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

#### ADNOTATIONES.

1. APPROPRIATOS. Non sufficit, quod Episcopus in litteris testimonialibus concursus gesti, Datario dignorem referat, sed debet exprimere, prout expressum fuit in formula, quot fuerint ex concurrentibus approbat, & quem ipse digniorerit faciat, quia non semper Ecclesia confert præelecto ab Episcopo, sed aliquando etiam alteri ex approbatis, prout Papæ magis placet, & declaravit *Sat. Congr. Concilii apud Corrad. prax. Benef. lib. 3. cap. 3. n. 5. vers. Unde in proposito. Verum hodie nova praxis obtinuit, quod sola præelectione magis digni, absque aliorum concurrentium approbatorum expressione (quæ tantum in casu, quo ab irrationabili iudicio Episcopi appellatur, esset necessaria) provisio concedatur.*

2. ET RELATIONE. Non est necesse, quod præelectio Episcopi fiat in ipso actu concursus coram Examinatoribus, sed satis est, quod explicetur etiam postea loco, & tempore diverso, ut docet Card. de Luc. de Paroch. disc. 1. n. 20. Relatio autem Examinatorum super idoneitate, &

approbatione oppositorum, debet fieri coram Episcopo, vel eccl. absente cor. Vicario Generali ab omnibus collegiativè illicet peracto examine antequam dissolvatur congressus, Card. de Luc. d. disc. 1. de Paroch. num. 21.

3. DIGNIOREM ELIGIMUS. Si Episcopus reperiretur suspensus à jurisdicione, & haberet præservatum jus conferendi Beneficia, non possit ex approbatis in concursu Parochialis dignorem præeliger, sed hoc jus pertineret ad Vicarium Apostolicum, ut præter Decreta, quæ referuntur à Fagnani. in cap. Illa ne Sede vac. num. 30. & seq. & à Nicol. in fosc. verb. Concursus num. 2. nuper declaravit *Sat. Congr. Concil. in Sorana 12. Decembris 1699.*

4. UT GRATIAM FACIAT. Quia respectu Papæ dicitur voluntaria collatio, nam confert liberè cui vult, dummodo ille cui confert, sit ex approbatis; Et sic conferre magis unius, quam alterius est voluntarium, & gratiosum, cum qui dat id, ad quod non tenetur, liberalitatem exercere videatur, Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. §. 1. proœm. numer. 40. cum tribus seqq. Quam-

H 4 quam-

quam etiam Papa de rigore teneatur digniori conferre , ne lœdatur iustitia distributiva , & de facto confert , quoties provisio sit de Parochiali , prævio concursu habitu coram Ordinario in mense reservato , servata forma Concilii .

Testimonialis pro aggregatione  
Confraternitatis .

**F O R M U L A X V I I.**  
**S U M M A R I U M.**

<sup>1</sup> Confraternitates aggregatæ Archiconfraternitatibus Urbis non gaudent privilegiis aggregantibus, sed indulgentiis .

N. Dei , & Apostolice Sedis gratia Episcopus N.

**U**Niversis , & singulis per præsentes testamur in Ecclesia N. hujus Civitatis ( vel loci N. Diccessis ) reperiri legitimè erectam Confraternitatem Laiorum sub titulo . . . quæ in visitandis Carceratis , & distribuendis illis , aliisque pauperibus infirmis eleemosynis , & aliis pietatis operibus cum usu sacerdotum coloris . . . se exercet . Cupientesque iudem Confratres indulgentiarum , gratiarum spiritualium , aliorumque Theaurorum Cœlestium fieri particeps , & proinde aggregari Ven. Archiconfraternitati N. Almae Urbis : Idcirco cum in dicta Confraternitate à Nobis pluries visitata , institutum , pietas , & Christianæ charitatis officia plurimùm vigeant , non solum nostrum assensum damus , sed Eminentissimo , & Reverendissimo D. Cardinali Protectori , & omnibus DD. Deputatis diœtæ Ven. Archiconfraternitatis N. ( si aggregatio sit facienda à Regularibus , dicatur -- Reverendissimo P. N. totius Ordinis N. Generali ) enixè in Domino eamdem Confraternitatem commendamus . In quorum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli .

N. Cancellarius Episcopalis .

**A D N O T A T I O .**

<sup>1</sup> **T**HESAUORUM COELESTIUM FIERI PARTICIPES . Hæc clausula ponitur ad demonstrandum , & indicandum , quod Confraternitas aggregata non gaudet privilegiis aggregantibus , sed tantum de indulgentiis , & gratiis spiritualibus fit particeps , ut respondit Sac. Congreg. Episc. & Regul. in una Brugnaten. 23. Novembris 1691. referente Cardinali Millino .

Testimonialis de absolutione  
data publicè excommunicato .

**F O R M U L A X V I I I.**  
**S U M M A R I V M.**

<sup>1</sup> Qui fuit publicè excommunicatus , non præsumitur absolutus , nisi appareat de absolutione .

**E**GO N. Confessarius Deputatus ab Illuſtrissimo , & Reverendissimo N. Episcopo N. vigore litterarum Sacrae Penitentiariae fidem facio , qualiter audivi

divi confessionem Sacramentalem N. & illi absolutionem Sacramentalem impertius sum in forma Ecclesiæ consueta, non solum à peccatis, verum etiam ab excommunicatione, quam ipse N. incurrit ob..... In quorum fidem, testimoniales has dedi ex loco N. die . . mensis . . anni &c.

Ego N. Confessarius Deputatus.

Loco ✠ Sigilli.

AD NOTATIO.

ostendere cum opus fuerit se absolutum.

Testimonialis fructuum  
Beneficii.

FORMULA XIX.

S U M M A R I U M.

Quando exigatur testimonialis Epis-  
copi super fructu Beneficiorum.

N. Episcopus, sive Vicarius Generalis N.

**U**niversis &c. testamur, fructus, redditus, & proventus Beneficii sub invocatione N. in Ecclesia N. hujus Diœcesis, qui olim summam . . . scutorum monetæ Romanæ longè excedebant, ita ob temporum injuriam imminutos esse, ut ad præfens detractis oneribus vix ascendant ad summam scutorum . . . similius computato anno sterili cum fertili, prout ex depositionibus plurium Testium in Curia nostra examinatorium patet. In quorum &c.

AD NOTATIO.

**H**æc fides, seu testimonialis exigitur à Dataria Apostolica ad effectum aliquando regulandi Taxam pro componenda in coadjutoriis; Aliquando

pro regulanda quantitate Pensionis super Beneficio imponenda, vel reservanda; Vel demùm, ut sciat, an fructus exceedant summam ducatorum duorum de Camera, quando petitur expeditio gratiæ per solam Signaturam.

T I-